

*Procuratoriam*, quam vocant, dignitatem, quae, si Principem exceperis, primas obtinet, idcirco non obtinuit, quia nunquam petiit: neque illa solet unquam tribui, nisi candidatis; nec ipse candidatum profiteri voluit, ab omni ambitione quippe longe remotissimus.

Qui tamen eminentissimum locum occupant, honorum duo gradus, Ducis, & sacri Praesidis, sive Patriarchae; ii *Mauroceno* utrique haud quaquam petenti, immo ne tale quidquam suspicanti, parum abfuit, quin obtigerint, ultro demandati. (a) Etenim anno M. DC. XV. cum in Matthaei Zanis, Patriarchae sanctissimi, locum Venetum de more civem sufficere oporteret; so-lerentque Patres Senatorem aliquem designare illustri pietatis, & doctrinae laude celebratum: *Maurocenus* inter ceteros, licet *continentis Sapiens*, neque adhuc maximis illis, ad quas paucis post mensibus pervenit, dignitatibus functus, suffragatorum multorum voluntatem, immo civitatis universae studium in se unus converterat. Ita certabant in eo virtutes omnes tanto fastigio dignae, scientia, facundia, mores integri, & quae primas agit, innocentia vitae, atque in Deum Optimum Maximum pietas singularis. Neque certe illi tantam veluti de manibus eripere dignitatem quispiam praeter eum poterat, qui tum creatus fuit, Franciscus Vendramenus, Senator amplissimus, qui deinde a Paulo V. Pontifice Maximo Cardinalis est dictus.

(b) Anno vero M. DC. XVIII. qui postremus ejus vitae annus quoque fuit; cum in Duce eligendo, qui Joanni Bembo succederet, electores inter se haud facile convenirent, eosque commemorare pergerent, atque nominare, qui etiamsi candidati non flagitabant, tam excelsum tamen honoris apicem merebantur: ipse quoque relatus est facile in eorum numerum, eumque suffragiorum numerum obtinuit, qui virtutem, & maxima in Rempubli- cam viri merita testaretur, & aequae rerum aestimatori cuique facillime ostenderet: cum ille, audita re, subridens, *Laetari se multum*, diceret, *habuisse Rempublicam non solum Nicolaum Donatum, qui Princeps renunciatus tandem fuerat; sed alios etiam quamplurimos qui sibi praeferrí possent: oportere cives probos nullius ambitionis, sed unius Reipublicae rationem maximam habere, ut dignioribus ceteri semper non gravate concedant, & oblati etiam magistratus respuatur constanter, si minus rei gerendae nos aptos sentiamus; atque adeo, si res ita ferat, deponatur om- nino,*

---

ret, ut *Tomasinus* affirmat in *Elogiis virorum literis & sapientia illustrum*, cum *Prevotii* elo- gium affert. „ Viro cl. *Prospero Alpino* jam satis defuncto, *Andreae* potissimum *Mauroce-* „ *ni* consilio horti juxta publici cura, additis LX. florenis, ipsi (*Prevotio*) committitur. „ Ex *Mauroceni* epistolis quae exstat pag. 235. ad *Prevotium* data, ipsi hanc novam provinciam demandatam videtur gratulari.

(a) Etenim anno M. DC. XV. Senatui novo Patriarchae in locum Matthaei Zanis crean- do habitus est V. kal. sept. anno M. DC. V. non autem M. DC. XV. ut *Crassus* narrat: sed typographi errorem puto. Centum & septem suffragia *Maurocenum* creantur. Praelatus nihilominus illi est Franciscus Vendramenus, centum triginta tribus suffragiis creatus.

(b) Anno vero M. DC. XVIII. Joanni Bembo extincto cum Principem suffecturi unus & quadraginta electores convenissent, ea fuere inter Patres certamina, ut quamvis suffragia ini- ri VIII. kal. april. coepissent, nonis tantum april. subrogato Nicolao Donato, conventus dimissus sit. Quinques & tricies inita suffragia sunt: clarissimorum procerum nomina cal- culis subiecta, inter quos *Mauroceni* nostri habita est ratio. Cum enim III. kal. apr. deci- motertio suffragia inirentur, primo *Maurocenus* novem suffragiis probatus est: undecim deinde, cum III. non. apr. jam vicesimonono in suffragia iretur: postea duodecim, cum prid. non. ejusdem mensis fessi certaminibus Patres tricesimoquarto ad suffragia essent voca- ti. Neque aliud certe tanto Senatori obfuit, quominus Reipublicae Princeps renunciaretur, quam nondum matura supremo magistratui aetas, qui non nisi confecto maximorum hono- rum curriculo, valde senibus deferri solet.

(a) cum